









1733.

1. Ahlwardt, Petrus : Gedanken von der  
echten Art die Vernunft-Lehre zu lehren  
und zu lernen.
2. Godesius, Philoponus Butcherus : De nullo  
et unigenio usn donationis praeceptor nuptias  
maritum iure sustinamus consideratae.

3 1734.

3. Nellekast, Christianus, Rektor Univ. Gryph. Pro-  
gramma, quo . . . occasione heliolabiae ve-  
lerum . . . has tempore naturitatis dominis ad-  
vaudi solam, ac cultam salis justicie in creatu-  
re humanae ergo . . . Salvatorem venerato-  
rem . . . exposita atque approbatissima.

1734.

1. Ahlwardt, Petrus : De subordinatione prius  
primum secundum quod dominus suos servos  
componere adhuc.

1734.

2. Helvignis; Thesaurus: *De respectu personarum  
rum cirti, justo ac iusto.*

1735.

1. Albrechtus Ohns: *Immortalitatem animalium  
humanae . . . demonstrat*

2. Helvignis, Thes. his: *De immunitate et  
rectigali, secundum ius Roman. et. Noricum  
considerata.*

1736.

1. Balthesar, Augustinus: *De beneficio stylis  
curiae, fidei jussoribus in Procuraria installo*

2. Ingelbrecht, Hermann Henrich. *Persicula academicorum  
quos fundamenta exercitioris rerum principiarum  
et rectigali. . . curiam examinata*

1736.

3. Helvigi<sup>s</sup>, tractus iuris: De iure manus ini-  
stiae. - .

4. et Helvigi<sup>s</sup>, tract. iuris: De amissione ius tra-  
mentorum

5. Lichtensthalius, Philip Pet.: Dissertationis moralis continuo  
principia obligationis et non obligationis pacti per  
metum extorti.

6. Nittelblatt, Christianus: De appellatione ad judicium  
imperiale Anticum..

7. Nittelblatt, Christianus, Prodericus Br. Tectorum:  
Programma, quo . . . et Disputationem in any . . .  
de appellatione ad judicium Imp. Anticum, quam  
pro lectione summis in utroque iure doiores  
capescendi . . . submittit Christianus Peters, . . .  
iuritas insinuare: De variis contra sententias  
in summis imp. tribunalibus latas complectibus

remedios, et praescriptio de recurso ad comitium dissens

1737.

1. Balthasar, Aug: De contractibus et actionibus bonae  
fidei et stricti juris

2. Balthasar, Aug: Programma, quo . . . ed: -  
Petri Matthaei Haselbergii . . . disputacione  
mag. . . invitat . . . insimulque: locute ac  
fatis Henrici Rubenovis . . . quadam  
proposit

1. Balthasar, Augustinus: Origine, statu ac  
conditione dominum propriorum in Principiis  
de variis modis contractus iurisdictionis  
mitaria

*P. 525.*

21

1734, 1

4

TENTAMEN METAPHYSICUM  
DE  
**SUBORDINATIONE FINI-  
UM PRIMORUM SECUNDUM  
QUOS HOMINES SUAS TE-  
NENTUR COMPONERE  
ACTIONES,**  
PROGRAMMatis loco offert,  
SIMULQUE  
**LECTIONES SUAS ÆSTIVAS**  
NOTAS FACIT  
**M. PETRUS AHLWARDT.**

*GRYPHISWALDIAE,  
PRELO HOEPFNERIANO, 1734.*







**N**ostri iam temporis ea est felicitas, ut do-  
ctissimi viri sua coniungant opera in eru-  
endis & corroborandis veritatibus erudi-  
tis; ita, ut summum ferme iam fastigium  
eruditio videatur esse assecuta, maxime quidem, cum  
nulla admittuntur asserta, nisi vel demonstrativa vel  
probabili ratione sint demonstrata & adprobata. Te-  
stimonium hac de re perhibere possunt, uti omnes fer-  
me disciplinæ, sic etiam quam maxime illa, quæ de  
morum emendatione nomen trahit, postquam GRO-  
TIUS, PUFFENDORFIUS, THOMASIUS aliique o-  
mnem suam in eo collocarunt operam, quo magis il-  
lam excolerent. Nec minus illa disciplina, quæ prin-  
cipia omnium disciplinarum moralium tradit, & vul-  
gari nomine Metaphysica audit, postea quam RÜDI-  
GER, WOLFIUS, THÜMIGIUS, MÜLLERUS alii-  
que sua nobis haud invidere opera Metaphysica. Ne-  
mo

) (2

mo tamen erit, uti puto, qui iure sibi persuadere potest, omnia iam plane esse confecta in hacce disciplina, ut nihil amplius inventis possit addi, vel saltem in illis emendari & clariori quadam luce collustrari. Sit nobis hac vice exempli loco materia illa de subordinacione finium divinorum & quidem primorum, quæ quidem a plurimis est pertractata; attamen, uti nobis videtur, haud satis accurate & distincte. Quare haud frustraneam nos esse suscepturos operam puto, si pauclo uberior & dilucidius hanc materiam pertractare nobis sumamus. Egit quidem peculiari quadam *Diss. de subordinatione finium ERICUS CASTOVIIUS, Phil. Mor. & Civil. Prof., Vpsaliæ 1703. edita;* cum vero historica maximam partem eius sit tractatio, quoad cetera vero satis iejuna, ideo multa adhuc nobis erunt relicta uberioris circa hancce materiam deducenda. An vero finem nostrum simus asscuturi, iudicium erit apud æquum Lectorem, cuius æquissimo iudicio libenter quoque nostram subiicimus sententiam, iniquam vero & absurdam aliorum censuram & castigationem ferre quidem didicimus, quam tamen haud magni facimus. Deducamus itaque sententiam nostram ex primis suis principiis.

§. I.

**F**inis est effectus cum notione boni in mente representatus, quam voluntas per adhibenda & adhibita media conatur assequi. Quilibet enim finis physico respectu est effectus, qui per medium tanquam suam causam producitur. Ut vero effectus hicce considerationem finis admittat, necesse erit, ut in mente repräsentatio, in voluntate vero appetitus seu desiderium eius, per medium voluntarie nempe adhibitum illum obtainendi accedat. Ostendit autem natura voluntatis, quæ in appetitu & aversatione consistit; nihil eam appetere nisi sub ratione boni. nihilque aversari nisi sub notione mali (per sens. intern.) Bonum enim & malum, sive sit verum, sive apprens continet in se rationem appetitus & aversationis voluntatis nostræ, uti quoque experientia testatur. Patet ergo nullum dari finem, nisi effectus ille physicus (vid. supra) sub notione boni voluntati ab intellectu nostro repräsentetur.

Licet voluntas nostra duplici se prodat ratione tam appetendo bonum quam aversando malum (per defin.); conceptu tamen erit facillimum, remotionem mali re ipsa esse bonum quoddam sicque voluntatem, quando remotionem mali desiderat, revera bonum quoddam appetere, illudque bonum tanquam effectum ab intellectu repräsentatum per media velle assequi. Quare non opus fuit, ut in definitione finis etiam mali, quod voluntas aversatur, mentionem fecerimus.

## §. II.

Bonum generaliter dicimus id, quod statum nostrum perfectiorem reddere potest. Ergo bonum semper erit aliquid grati. Experientia vero testatur, dari quasdam res, quæ speciem quidem habent, ac si statum nostrum reddere possent perfectiorem; apparet tamen ex effectu, illas potius statum

(3)

no-

nostrum semper magis reddere imperficiorem. Aliæ vero dantur etiam res, quæ veram nostram producunt perfectionem. Apparet sic fundamentum dividendi in verum & apparen-  
rens bonum.

## §. III.

Voluntas appetit omnia sub notione boni (§. I.) tam verum bonum quam apprens habet in se ideam bonitatis (§. II.) alias non essent species boni in genere. Ergo & voluntas nostra eadem appetit ratione eodemque gradu bona apparen-  
tia ac vera. Quare finis dividitur in bonum & malum.  
*Finis bonus dicitur, quando effectum revera bonum nobis sub ratione boni representamus; malus vero finis est quando effectum apparen-  
tium bonum nobis in intellectu sub notione boni representamus, quem  
voluntas intendit assequi.*

## §. IV.

*Medium' dicitur causa ab ente ratione & voluntate predito adhibita ad finem sibi propositum assequendum. Sic distinguitur medium a causa quadam mere physica, quæ est eius opposi-  
tum; æque ac finis ab effectu mere physico, ut vero eius opposito (§. III.). Nullum itaque datur medium absque fine; me-  
dium enim, quando non adhibetur ad finem certum asse-  
quendum, non est medium; sed causa mere physica.*

## §. V.

*Finis continet in se rationem mediæ. Nullum enim datur me-  
dium absque fine (§. IV.). Ratio autem dicitur nobis id,  
ex quo aliud intelligere possimus. Quicquid itaque conti-  
net eiusmodi quid, ex quo alterum intelligere queamus, il-  
lud continet rationem alterius. At vero finis continet e-  
iusmo-*

iusmodi quid, ex quo intelligere possumus medium; quoniam nullum concipi potest medium absque fine (§. IV.) Ergo finis continet in se rationem medii.

## §. VI.

*Finis morali quoque consideratione est causa actionis.* Quicquid in se continet rationem existentiae alterius, illud est eius causa (per def.) Finis autem continet rationem existentiae medii Ergo finis est causa medii. Medium porro ut medium semper debet adhiberi ad finem consequendum (per def. IV.) Adhibere vero medium sive causam physicam (ibid.) secundum certum finem est & dicitur agere. Cum itaque finis est causa medii, sequitur etiam finem esse causam actionis Entis rationalis. Poteſt etiam theorema hocce alia demonstrari ratione. Nullus datur finis absque notione boni (§. I.) Omne autem bonum appetit & vult voluntas nostra (ibid. & not.) Est vero finis & ideo etiam bonum cum eo coniunctum effectus physicus (per def.) qui non potest obtineri absque causa. Est vero medium causa quod si adhibeat effectum hunc sive finem producere potest (IV.) Qui cunque itaque vult finem debet etiam velle media, eaque adhibere. Agere vero nihil aliud est, quam causam adhibere & applicare ut effectus certus inde sequatur. Cum itaque iam finis sub notione boni entia ratione & voluntate praedita ad volitionem finis movet, sicque rationem huius volitionis in se continet; continet quoque necessario rationem volitionis medii, nec minus medii adhibendi. Ergo & ipsius actionis. Ergo finis est causa actionis entis rationalis.

## §. VII.

*Nulla itaque datur enim rationalis actio, que non secundum certum finem sit instituta.* Finis enim est causa actionis entis rationalis (§. VI.) Ergo actio qualibet morali consideratione est effectus. Nullus vero effectus potest existere absque causa (per

(per def. & princ. rat. suff.) Ergo nulla quoque entis rationa-  
lis actio potest existere absque fine, sive quod idem, Ergo  
nullum ens rationale agit absque fine.

## §. VIII.

Patet quoque nullum ens posse agere secundum fines sibi ipse  
propositas quam ens rationale (ex def. §. I. & IV. sqq.) Vbi enim  
adest finis, ibi adesse quoque debet repræsentatio boni (§. I.)  
ubi adest repræsentatio boni, ibi præcedere debet reflexio si-  
ve actio intellectus, qua naturam effectus per abstractionem  
cognoscimus & comparationem instituimus, an sit bonum  
quoddam nec ne? hoc est an vires in se res illa adipiscenda  
contineat, ut statum nostrum perfectiorem reddere possit  
nec ne? Hæ vero sunt actiones rationis, quæ nexum rerum  
perspicere potest. (per def.) Vbi itaque est actio secun-  
dum fines, ibi quoque rationis facultas adsit, necesse est;  
Ergo nullum quam ratione prædictum ens agere potest secun-  
dum finem cognitum.

## §. IX.

Homo itaque & agere potest & agit semper secundum finem.  
Est enim ens quoddam rationale & libere agens (per exper.)  
Nulla vero datur in ente rationali actio, quæ non instituta est  
secundum certum finem (§. VI.) Ergo nec in homine datur  
actio absque fine. Homo proinde quando agit, semper insti-  
tuit suas actiones secundum certum finem.

## §. X.

*Finis potest dividi in intermedium & ultimum. Intermedii*  
dicuntur *fines, qui media adhuc fieri possunt alterius finis; quorum*  
*existentia satis patet. Si enim quis ex alio quereret v. g.*  
*cur pecuniam desideret? dicere fortassis posset alter, ut equum*  
*sibi queat comparare: Si ulterius instemus, quare equum de-*  
*side-*

sideret, responderet forsitan, se velle ad hunc vel illum locum equo vehi: Si porro urgeamus, cur hoc? diceret, ad amicum visitandum, ad negotia mihi demandata gerenda &c. Cum itaque hi fines semper aliis inserviunt finibus ut media, ideo dicuntur intermedii. Ultimus vero finis est, qui nulla plene ratione medium alterius esse possit finis. Ordo hicce inter fines, cum nempe alter alterius iterum potest esse medium usque ad omnium ultimum, dicitur a nobis finium subordinatio.

## §. XI.

Fines intermedii sunt media finis ultimi. Omne medium habet rationem suæ existentiae in suo fine (§. V. & VI.) Ergo habent etiam fines intermedii rationem suæ existentiae in fine ultimo. Fines intermedii existunt realiter (§. X.) Nullus vero datur effectus absque causa (per princip. rat. suff.) Ergo nec fines intermedii existunt absque sua causa; Ergo nec existunt absque fine ultimo (§. VI.) Ergo existere etiam debet finis ultimus. Ergo in ordine quoque causarum finalium & mediorum non datur progressus in infinitum.

## §. XII.

Homo est ens quam maxime dependens (per sens.) Ergo sibi ipsi fines haud potest praescribere, sed cognoscere saltem eas potest & debet secundum voluntatem praescriptentis & eius a quo dependet. Dependet vero omni ratione tam respectu existentiae quam essentiae primario a Deo, quod hic assumitur (per lemma metaphys.) proinde quoque Dei imperio ob nexus tam creationis quam conservationis homo subiectus esse debet. Potest pariter Deus solus hominibus fines praescribere, secundum quos suas instituere & possunt & debent actiones. Quare etiam omnium maxime finis ultimus a Deo hominibus debet esse definitus & praescriptus, qui proinde ex essentia quoque Dei erit cognoscendus.

## §. XIII.

*Finis ultimus debet esse per se bonus; non enim datur finis ipso prior, a quo eius bonitas dependet, alias non esset ultimus*

XX

(per

## §. III.

(per def. & §. XI.) Quare aut erit per se bonus, aut nulla plane datur bonitas in mundo, nec existeret motivum agendi, ideo nec existere posset actio quædam humana (per §. I. V. & VI.) quod vero contra omnem est experientiam & ideo absurdum Ergo necessario verum erit finem dari, qui per se est bonus, isque pariter ultimus.

## §. XIV.

Finis ultimus debet esse per se bonus [§. XIII.] Nullum vero in tota natura existit ens per se bonum quam Deus ipse. E quoque omnino finis ultimus in Deo esse debet. Cumque homo non est ens per se bonum, nec potest in ipso queri finis omnium ultimus. Ergo nec salus hominum potest esse finis ultimus. Porro nec totus mundus est ens per se bonum. Ergo nec in toto mundo querendus erit finis ultimus. Ergo omnino extra mundum in Deo ente omnium perfectissimo & necessario.

## §. XV.

*Finem ultimum in Deo esse querendum, alio quoque demonstrari potest argumento. Deum, ut ens rationale, in creatione totius universi finem sibi habuisse propositum, omnino asserendum est [§. VIII.] Hicce finis totius universi fuit etiam finis omnium hominum, quoniam homo constituit partem mundi. Necessario quoque habendus est hicce finis pro ultimo, quoniam ultra illum finem, quem Deus sibi in creatione hominis & totius mundi proposuit, non potest finis alius cogitari. Finis autem, quem Deus in creatione mundi sibi propositum habuit, non potuit esse in mundo; alias enim non faciat mundus medium ad huncce finem. Finem vero medii existere in ipso medio est contradictorium quid [per def. §. I & IV.] Cum iam totum universum medium fuit aliquius finis in Deo, quem per mundum eiusque creationem obtinere voluit; Sequitur omnino finem mundi non potuisse exi-*

existere in ipso mundo Ergo omnino finis totius universi extra mundum erit querendus. Extra mundum vero nihil existit quam Deus, Ens omnium perfectissimum & causa mundi. Ergo Finis omnium rerum & sic etiam hominis ultimus in ipso Deo est querendus & concipiendus.

## §. XVI.

*Hicce finis omnium rerum ultimus non potest esse alius in Deo, quam Summi huius Numinis gloria.* In Deo nihil adest quam infinitæ eius perfectiones, quæ ideo ideam ultimi finis omnino incurvare debent. Hæcæ perfectiones debent homines assequi & promovere per suas actiones; nequaquam vero, ac si illas in Deo augerent, hoc enim tollit ideam Dei, sed potius cognoscendo, ita ut mundus sit effectus, ex quo infinita Dei attributa concludendo assequi sibique representare possint creaturæ rationales & sic quoque homines. *Gloria itaque Dei nihil est aliud, quam representatio perfectissimorum Dei attributorum, secundum quam omnes nostræ debemus instituere actiones.* Huncce finem esse omnium rerum ultimum & sic etiam hominum inde etiam cognosci potest, quoniam est per se bonus [§. XIII.] est porro universalissimus & certissimus. Dei autem gloriam promovere nihil est aliud, quam efficere, quo perfectiones Dei infinitæ maiori innoteant gradu.

## §. XVII.

Ipsum Deum finem huncce promovere iam demonstratum est [§§. XIV. XV. XVI.] ex creatione mundi. Ipse quidem iam infinita quadam ratione cognovit omnes suas pariter infinitas perfectiones ab omni æternitate. Voluit tamen purissimo sui amore adductus, ut etiam alii illas cognoscerent sibique representarent; & ideo creavit mundum, qua actione etiam finem suum obtinuit & obtinere debuit, quoniam finis hicce est per se bonus & ex sua natura.

Errat proinde BÆLIUS in *Reponse aux Questions d'un Provincial Tom. II. Chap. 44.* cuius tit. Si l'on peut dire, que Dieu a créé le monde pour sa gloire, ubi ita iudicium suum de gloria Dei format: L'on ne peut dire, que Dieu ait créé le monde

de pour sa gloire. Car si le motif de la gloire est un defaut dans les actions d'une creature, a qui ce motif est utile & necessaire, qu'en diroit on a l'egard d'un Etre, dont la perfection & la felicite infinies, & non susceptibles du plus ou du moins, sont absolumet independantes de tout autre etre? Longe vero alia est ratio, quando Deus vult gloriam suam & quaudo homines appetunt honores. Deus enim est ens perfectissimum & esset omnino imperfectione quædam, si gloriam suam noller; Homines vero multis imperfectionibus sunt commaculati, & nihilominus quaerunt honorem ut finem suum ultimum.

## §. XVIII.

Reliquæ quoque creaturæ sua quadam necessitate induæ promovent gloriam divinam. Sunt hæ vel rationales vel irrationales. Irrationales quidem non possunt sibi finem repræsentare (§. VIII.) nihilominus inserviunt rationalibus, ut hi eo melius finem assequi possint; quare & irrationales promovent gloriam Dei & quidem necessario & objective saltem. Rationales vero & ipsæ debent cognoscere perfectiones Dei infinitas, & efficere, ut alii pariter illas cognoscant [§. XVI.]. Tam multa enim adsum obiecta, que ostendunt Deum esse, ipsumque existere ens omnium perfectissimum & causam omnium rerum. Quis non inde concluderet, officium creaturarum rationalium postulare quoque, ut alios pariter dicant ad cognitionem perfectionum harum divinarum. Brevis ut me explicarem: omnes vires a Deo creaturis rationalibus concessæ debent ad finem illum promovendum, gloriam nempe Dei, adhiberi. Cum vero homo est ens libertate præter rationem quoque præditum, (per exper.) libere quoque gloriam Dei debet promovere. Ergo potest etiam finem huncce negligere (per def. libert.) Vult autem Deus huncce finem per suam efficiam (§. XIV. sqq.) Ergo dedit ipsis primo vires, ut gloriam divinam promovere possent; dein adiecit quoque motiva seu argumenta persuasoria (ut ita

ita dicam) quæ voluntatem hominum liberam determinare debuissent ad finem illum semper promovendum & non omittendum. Libertas enim nostra ita est comparata, ut non possit agere, nisi motiva quedam ipsam determinant, quæ argumenta & motiva tamen nequaque cogunt, sed movent saltem (per sens. int.) Sunt vero motiva illa idea boni sive clarius combinatio arctissima perceptionis gratissimæ cum impletione huius finis; & vi oppositorum, æque arcta coniunctio perceptionis molestissimæ cum neglectione huius finis (per §. I.) Illa dicitur *salus & felicitas* nostra; hæc vero *infelicitas*. Quicunque itaque promovet gloriam Dei, felicitatem simul suam obtinebit & contra.

Latere in hisce adductis verbis maxime fundamentum pro adstruenda immortalitate animæ humanæ, firmiter sum persuasus. Si enim Deus necessario vult gloriam suam (§. XIV. sqq.) & in omnem æternitatem debet illam velle. Ergo etiam media s. vires entium rationalium debet conservare in æternum (§. VI. & VIII.) Ergo etiam animas humanas tanquam entia rationalia in æternum debet conservare. Nec ulli appetit ratio, cur Deus hasce animas rationales iterum destruere, sicque media finem suum necessarium promoventia tollere vellet. Ergo animæ humanæ sunt immortales.

## §. XIX.

Imo si creature ratione & voluntate præditæ nolunt libere gloriam Dei promovere, debent tamen illæ hoc necessario maxima licet sua molestia & infelicitate efficere, quoniam finis hicce est ultimus & necessarius (§. XVI. & XVII.) Quicunque enim negligit gloriam divinam, ille sentiet perceptionem ingratissimam sive poenam æternam; quæ efficiet, ut punitus iustitiam Dei infinitam repræsentare cum coniunctis attributis debeat. Præterea, quando alios beatissimos & felicissimos videt & cognoscit, maximo licet cum dolore amore quoque Dei erga homines sibi repræsentabit. Occasionem pariter præbet beatis eiusmodi punitus, ut iustitiam

)( X 3

Dei

Dei punitivam maximo cum amore erga Deum, maiori adhuc  
cum motivo ad gloriam eius promovendam, sibi represe-  
tent, Deumque sic laudent & celebrent,

## §. XX.

Salus itaque & felicitas hominum non est finis omnium  
rerum & sic nec hominis ultimus. Sic enim ratione  
infelicitas hominum dicenda esset ultimus hominum finis,  
quod absurdum. Manet quidem felicitas nostra motivum  
quoddam ad finem ultimum procurandum, non vero est finis  
ipse; & que ac si quis ob metum pœnæ aliquid peragit, poena  
nequaquam erit finis eius actionis: sed motivum saltem agendi,  
actioneque mea verum finem obtainendi. Neque gratum cum  
actione quadam coniunctum est finis actionis, v. g. refractio  
libidinis non est finis coniugii, sed procreatio sibolis. Gra-  
tum in cibis assumendum non est finis cur cibum capiamus, sed  
conservatio sanitatis. Attamen manet verissimum, finem non  
esse finem nisi sit bonum quoddam, gratamque coniunctam  
habeat perceptionem (§. I. & XVIII.); hoc saltem dico gratum  
ut gratum non esse finem, sed potius coniunctum cum re ipsa,  
quæ gratum secum vehit & melius finis diceretur.

## §. XXI.

Deus vult & promovet gloriam suam (§. XVII.) quicquid  
itaque cum gloria divina convenit, illud omne etiam vult Deus,  
alias enim non promoveret semper suam gloriam (contra  
§. XVIII.). Ergo amat Deus antecedenter ad facta hominum  
omnes homines (per def.); amare enim nihil est aliud, quam  
statum alterius perfectiore cupere. Non vero amat Deus  
homines ut homines plane absolute, sed potius relative &  
conditionate: Si nempe gloriam suam vellent promovere,  
tunc quoque fruantur hocce Dei amore antecedenti in omne  
ævum. Salus enim hominum quoad fruitionem eatenus tan-  
tum intenditur a Deo, quatenus est medium gloriæ divinæ  
promovende. Odio itaque Deus quoque prosequitur ho-  
mines, quatenus nempe finem ultimum nolunt promotum.  
Nequaquam ideo infelicitatem hominum simpliciter vult De-  
us,

us, est enim fini ultimo contraria; eatenus vero omnino vult eam, quatenus est medium gloriam suam necessario promovendi, si libere homines nolunt. Amat præterea Deus etiam homines ut suas creatureas; convenient enim ad minimum ut creature cum fine suo ultimo & promovent eum obiective. Ergo Deus magis amat homines quam odit.

## §. XXII.

*Deus omnes homines amat antecedenter æqualiter.* Omnia enim vult salutem [§. XXI.] quoniam omnes ad finem suum ultimum creavit [§. XVIII.]. Nulla etiam appetit ratio, cur hunc vel illum magis amet, quam alterum, quoniam omnibus æquali ratione iniunxit gloriæ suæ promotionem.

## §. XXIII.

Quicquid Deus vult, id debent quoque homines velle; alias enim negligerent apertissime gloriam Dei. Deus autem vult hominum & quidem omnium salutem. Ergo & debent homines & suam invicem salutem promovere, ut & propriam.

Hæ tres ideaæ diversæ, nempe gloria divina, salus aliorum & propria nunquam inter se invicem possunt collidere, alias enim contradixisset sibi Deus, quod absurdum; sed qui ex hisce tribus unum vere promovet finem, ille reliquos simul duos promovet. Occurrunt tamen in actionibus valde remotis casus, ubi videtur collisio adesse inter actiones, quibus nostram & aliorum salutem promovere debemus licet quam maxime tempore. Hic vero omnino erit determinandum an propria, an vero aliorum salus sit praefenda?

## §. XXIV.

Plures homines maiori gradu promovere possunt gloriam Dei quam unus, Ergo quoque Deus magis vult salutem plurium hominum, quam unius Ergo plures etiam magis amat quam unum, Ergo & nos magis amare debemus plures homines quam unum (§. XXIII.) Ergo & nos totam societatem magis debemus amare quam unicum hominem, ut & magis

gis quam nos ipsos. Ergo magis socialiter est vivendum quam feliciter. Ergo felicitas propria potest quidem respici ut finis homini præscriptus, attamen erit hicce finis subordinatus fini & felicitati totius societatis.

## §. XXV.

Inter fines adductos itaque sequens concipiendus erit ordo & subordinatio. Primus & omnium ultimus est & manet semper gloria divina (§. XVI.) Dein sequitur salus plurimum sive totius societatis [§. XXIV.] & huic denique est subordinatus tanquam medium finis propriæ felicitatis. Si itaque quis dubius est in diiudicanda moralitate alicuius actionis; nequaque subsistendum erit in fine propriæ nostra felicitatis: sed inquirendum ulterius an vera etiam sit nostra felicitas; quæ veritas tunc satis clare patebit, si salus societas non requirat aliud vel aliam actionem; & gloria divina eandem ac nostra imperet felicitas.

## §. XXVI.

Et hæc sufficient iam hac vice. Restat vero adhuc, ut fini nostri programmatis satis quoque faciamus, qui est, ut Vobis C. O. O. H. notum facerem, quasnam scholas hocce semestri æstivo sim aperturus, & quasnam disciplinas Vobis sim explanaturus. Finitis diebus festis Paschatos insequentia statim hebdomade Lectionum mearum initium faciam.

I.) Explicabo Cursum Mathematicum ad ductum Celeb. WOLFII. Huic Collegio quotidie duas horas dabo;

II.) Docebo præcepta Logica. Ducem elegimus Celeb. RIDIGERUM, in sua philosophia pragmatica. Simul etiam adjiciam Collegium quoddam disputationum.

III.) Eodem Duce illustrabo priorem eius Philosophiae practicæ partem,

Si in aliis quoque disciplinis quibusdam institutiones meæ placebunt; nec illis deero. Valete.





**ULB Halle**  
003 334 392


3



*Gle.*



B.I.G.



21  
H734, 1  
4

TENTAMEN METAPHYSICUM  
DE  
**SUBORDINATIONE FINI-  
UM PRIMORUM SECUNDUM  
QUOS HOMINES SUAS TE-  
NENTUR COMPONERE  
ACTIONES,**  
*PROGRAMMatis loco offert,  
simulque  
LECTIONES SUAS ÆSTIVAS  
NOTAS FACIT*  
**M. PETRUS AHLWARDT.**

*GRYPHISWALDIÆ,  
PRELO HOEPFNERIANO, 1734.*

